

[Poniższy tekst stanowi wersję pierwotną powyższego artykułu i ukazał się w SILVA RERUM – NUNTII LOCALES 11-12/2009 – również autorstwa WOJCIECHA «LUTYGOZDA» WOCHNY; tekst w wersji łacińskiej stanowi wersję obszerniejszą.]

Ethos hominis hodierni silva vel forestum respiciens



Quercus quaedam evulsa in areā Lusatiae Superioris viribus naturalibus praeposita; phot. E. Šolta a. 2004

Ante 8000 (octies milia) annos, itaque post ultimum tempus glaciale, totam fere Europam silvae copntegebant, inter quas querceta et pineta praevalebant; insuper nonnullis in regionibus crescebant fagi atque nonnumquam larices. Hodierno tempore maximam silvarum partem obtinent pineta, multo minus lariceta et fagiceta; querceta autem fiunt magis magisque rariora.

Antequam homo in silvas male agere incipiebat, in mediis Europae areas silvestres circiter 90% (nonagenos centissimos) omnis terrae siccae obtinuisse constat. Etiamnunc terram tegebant silvae quae naturalibus societatibus viventium (arborum herbarumque et animalium necnon fungorum) signatae mirum in modum multa permanent saecula; illarum oecosystemata sine vi humanā formata sunt. Talibus in territoriis natura sibi ipsi est praeposita: arbores mortuae nec amoventur neque quidem caeduntur, nec homines feras venantur neque herbae carpuntur. Hīc ubertas plantarum et earum dilapsus naturalis, varietas

artium et loca vacua ac deserta, splendor florum et voratio scarabeorum inter se texent. Tales silvae denominantur *primordiales* sive *primigenae*.

Sunt autem istae quae naturaliter reviviscunt revirescuntque, postquam a homine olim caesae erant; illae nuncupatur *silvae autogenae*. Ex eis praecipue hae eminent, quarum structura per circiter 250 (ducentos quinquagenos) annos immutata manet: hae sunt *silvae naturales*.

Primus silvae usus adscribitur *homini habili* qui «e coronis lignum» in terram descendebat; illo tempore vivebat in silvis vix suā manu intactis sustentatus, nullum damnum eis auferens. Tum *homo erectus* circiter 1.000.000 (decies centa milia = milionem) annorum apparens viam in Europam ingressus est. Postmodum *homo sapiens* iam tempore mesolithico, i.e. circiter ante 10.000 (decies milia) annorum a.n.t.r. (ante nostram temporis rationem) silvarum areas sibi subiacens prima tuguria lignea construebat ad dormiendum, arbores tesquasque silvestres extirpare comburereve incipiebat. Attamen eius actionibus ac facinoribus silvae naturales detrimentum capiebat tolerabilem.

Tempore nostro exstant in Europā paucis exceptis paene silvae a hominibus factae sive eorum consilio commutatae: hae iam perspicue anthropogena momenta continent et continenter quibusdam operibus forestariis subiunguntur; quae sensu stricto nominantur *forestae*. Forestae serviunt hominum propositis ac consiliis quae interdum varios valores sequuntur; prima et principalis est utilitas: gravissimum forestarum emolumentum oraebet lignum, deinde ferae (et alia animalia sicut aves velut cochleae), herbae, frumenta silvestria (ex. gr. nucamenta), boleti (fungi), resina, cortex, ramusculi (abiegni sive sapinnei), folia, sucus esculentus (praecipue a betulis excerptus), mel atque cera, bitumen ac latex... Cum autem lignum maximi momenti homini sit, tales plantae in locis vastis ponuntur quae cito et in solo tenuis qualitatis (inferioris bonitatis) facile atque expedite crescunt et lignum offerunt validum. Quam ob rem in locis campestribus dominantur pineta (pini et sappini), in montibus vel locis altioris pineta tantum e sappinis constantia vel lariceta.

Homo e silvis forestas fecit et eadem suo sponte (de-)formavit, parum prudentes rationes oeconomicas technologicasque subsequens, forestas monolithicas condens, eorum oecosystemata vitalia deminuens, necnon polluens aream emissionibus nocivis damnosisque, flumina aliasque aquas veneno imbuens, campos agrosque feris arripiens et suis oblectamentis mechanicis ac machnalibus subiacens non tantum circumdata naturalia ad limina suae interioris perduxit tolerantiae sed etiam se ipsum in conditionem permanentis perturbationis intullit. Tamen conscius suae amentiae forestas alias formationes arborum virgultorumque componere et eorum salubres cognoscere coepit functiones. Quā de causā praecipue forestae quoddammodo alias partes agunt, ex. gr. (exempli gratiā) tutelares: et nivium moles dilabendas prohibendo et terrae sola protegendo et instituta militaria occultando, et aeris oxygenium renovando sive carbodioxidum (CO₂) reducendo, et pluvias cohibendo, aquas purgando aliaque huiusmodi. Multum valent territoria silvestria ad socialium finium institutum; ante omnia ad hominum recreationem sanationemque utilia sunt. Aliter vero usurpantur illa institutioni discipulos edocendi ac perscrutationi scientificae sive plantarum propagationi servientes.

Novus quidam silvae primigenae aspectus se praebet quod ea «opulentiam naturae» asserviens a scientificis quasi receptaculum generum respicitur, in quo omnia viventia omnimodo librata vivunt, in quo harmonia naturae exstat, in quo denique mutatio generum viventium in processu naturali succedit. Agunt silvae (rarius forestae) partes aestheticas; homines sensibiles ab eis afficiuntur oblectatione atque inspiratione tamquam Musarum ingenium capiunt. Multi in eis instinctum divinum reperiunt et pietatis comperiunt incrementum.

Silvae habent quoque vim mythicam. Apud Slavos Occidentales multum valebat Riedegost quoddam idolum cuius nomen Slavice silvam agrestem sive virgulta silvestria denominatⁱ. Omnino antiquitus nemora et luci deis deabusque praesidium praedebant et hanc ob rem ipsa respiciebantur honorabanturque. Crebro illae areae silvestres hodie territoria protecta evadunt.

At singulae arbores in mythologia magni momenti sunt. Secundum Germanico-anthropologicam mythistoriam vir e fraxino, femina vero ex alno sive ulmo orta sit. Singulae arbores sive eorum partes statuunt symbola nationalia, velut aceris folium in Canadā sive cedri arbor in Libano, necnon symbola a poetis ficta, velut quercus tamquam robor nationis Germanorum sive tilia ut signum clementiae atque placabilitatis nationis Soraborum Lusatiensium.

Arbor crebro reperiri in biblis sacris potest, cuius vis symbolica multi momenti est: pini nucamenta (symbolum vitae fertilitatisque), quercus (insuper sub nomine terebinthi descripta: symbolum roboris), cedrus cupressusque et abies (symbola magnificentatis aeternitatisque) et sim.

Etiam mores atque consuetudines Christianae referunt ad arbores sive earum partes: sorta abiegnea sive sappinea, arbores nataliciae, ramiculi saligni sive palmares... At non-Christiana symbola arboris alicuius momenti sunt aput populos.

Breviter: silvae primordiales sive primigenae validissimae societates plantarum et firmissima oecosystemata in biosphaerā se praebent et funguntur oecologicā tutelā sicut conservatione varietatis artium viventium et naturali evolutione, atque humanā tutelā sanae hominis mentis animaeque necnon promotione cultūs civilis.

Quomodo homini ad silvam primigenam gerendum sit?

Hominis actiones quae regulas silvarum observant, nequaquam indicant hominem in suā evolutione «retro in ligna» niti debere, sed patefaciunt eius propinquitatem naturae silvestri; nam homo est pars quaedam naturae ex quo eius condicio humana nascitur. Silva praecipue primigena in homine verecundiam, reverentiam, venerationem provocat: omnes illae significationes proprie referunt ad quandam amicitiam inter ea; condicio autem amicitiae supponit reciprocitatem amborum: silva ostendit hominis rationi suam naturam intactam et forsitan Dei consilium creandi, ita ut ille vim et rationes naturae naturataeⁱⁱ (revitalitatem, integritatem, durationem, robor, generum strategemata defendendi dissimulandique accomodandique etc., eorum succesionem, evolutionem) apperire possit, homo suā ex parte respiciat oecosystema naturae et id immutatum manere sinat (respectu forestorum accipit illa «amicitia» formam totius areae silvestris servandae ad usurpationem futuram posterorum

secundum principium perpetuitatis). In illā relatione homini praestat munus rationis reddendae erga silvam, i.e. scientiam de eius oecosystemate in se firmare et tunc eius rationes et principia vivendi quam minutissime violare. Insuper homo sui responsalitati erga silvam numquam se subducere atque eius iura prae oculis generis humani semper manifestare debeat. Talem hominis habitum cultivum recte significat notiois descriptio: *hominem in statu legationis (pro silvā) esse*ⁱⁱⁱ.

Ratio vitae hominis eo ipso non tantum ipsum hominem, sed etiam omnem non-humanam naturam continet. Ethos erga totam naturam est unum: homini non est petendum naturam super modum facere humanam!

Cogitatio extrema

Quis scire valeat, nonne ex genere humano lignatores bipennibus praediti evadant et in radice medullam sappineam percutiant, sibi mercatum lucrosum parantes sive alicui fructui necessario servientes. Tunc homini nec descensus neque ascensus in arborem restabuerit, at eiusdem evolutio tamquam progressus in deviam pervenerit. Quapropter silva silvestris in sempiternum manere debeat, et incaedua: fons deorum veterum..., refugium anachoretarum, magnus Telluris halitus et cantus aeternitatis!^{iv}

- ⁱ Idolum (i.e. deus fictus) Radegostum (alia notio Radegast(us) sive Radigast(us): primum descriptum est ab Adamo Bremensi saec. XI^o et ultimum a Helmoldo Bozoviensi saec. XII^o facta), quod interpretatur Abraham Frencelius hoc modo: «Vox illa [sc. Radegost(us)] oris ac usūs Slavici est: RADA, *consilium*, et GAST vel GOSCŹ, *tesqua, saltus, condensum*. Hincque RADEGAST ... [denotat] *consultorem, patronum [bellicum], sedem suam habens [= habentem] in silva densa*; Germ[anis] ein Waldrath, oder Kriegs-Gott, der im Walde seinen Sitz hat»; idem: *De diis Soraborum aliorumque Slavorum*, in: *Scriptores rerum Lausticarum antiqui et recentiores*, tom. II, Lipsiae et Budissae 1719.
- ⁱⁱ Notio *naturae naturatae* est terminus technicus in scientiis theologicis usurpatus qui in ordine creandi libertatem (*Theod.* Selbständigkeit) naturae denotat.
- ⁱⁱⁱ *Theod.* Abgeordnet-Sein; fusius de hoc Adamus G. Hangartner (Einsidliensis): *Silva respectu ethicae specialis [Waldethik]*, Monacii [München] 2002.
- Sensu proprio amicitia tantum inter homines bonos iungi potest (hanc thesim iam Aristoteles demonstratre studuebat), sed sensu metaphoric quoque inter diversas naturas: hominem et silvam; haec autem amicitia habet aliquid aliam notationem ut amicitia propria: loco bonitatis ponitur sanitas. In fundamento sanitatis, i.e. sanae hominis mentis et sani oecosystematis silvae evadit harmonia. Silva primigena generat bonum fructum, i.e. sanum, et eundem homo nisi vero suam intimam naturam depravare et silvae oecosystema suo arbitratu reformare cupiat. Denique silva locus hominis provenientiae est ac ratio eius salutis: qui eget istā non tantum ad suam vitam degendum sed etiam ad suas virtutes explicandum roborandumque.
- ^{iv} *Versūs Stephani Žeromski notissimus ac clarissimus litterarum scriptoris Polonis saec. XIXⁱ et XXⁱ viventis.*